

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sacrae Theologiae divisiones.

Paroemiae sive adagia: Serere ne dubites. — Fortes fortuna adiuvat. — Ubi timor, ibi pudor. — Fures clamorem. — Carcini Strobilis fortunatior. — Ex umbra in solem. — Barbae tenus sapientes.

Sacellum ad tres spicas. Narratio simplex:

Ad Golgotham. Sacra actio dramatica I. B. Francesia versibus senariis conscripta.

Colloquia Latina. Dies remissionis.

Ex Italis urbibus. — Guidoni Monacho Pomposae in oppido monumentum dicatum.

Ex Polonia. — Grunvaldensis triumphus V centennaria commemoratio.

Acta Pontificia: SS. D. N. Pii PP. X litterae encyclicae ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos ccc in Sanctorum album relati. — « Motu proprio » de Indulgentia *Portiunculae*.

Diarium Vaticanum.

Annales. — Cretensis quaestio. — Francisci Iosephi Imperatoris iter in Bosniam. — Albanensis seditio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Librorum recensio. (I. Wabner. — S. De Backer. — A. Puccini).

Aenigmata.

Appendix: Arrae Gorgoniae.

“ SACRAE THEOLOGIAE DIVISIONES ⁽¹⁾ ”

Praeter divisionem sacrae Theologiae iam recensitam, in Theologiam videlicet *Scholasticam* ac *Positivam*, novae Theologiae divisiones adnumerantur, uti sunt Theologia *Patristica*, *Biblica*, *Historica*, *Apologetica*, *Pastoralis*. Harum s. Theologiae divisionum *Notiones* modo tradantur, atque ex *Notionibus* hisce veritates nonnullas praeclaro illi documento Pii X « Pascendi » consonas, educere postea licebit.

* * *

Per Theologiam *Patristicam* vel intelligitur « Complexus dogmatum sacrorum ex mente sententiaque Patrum, inde ut cognoscatur, quo pacto veritas religionis christianae conservata semper sit in ecclesia ac propagata » (2); vel Theologia *Patristica*, et ipsa Patrologia, quae de scriptoribus unice agunt qui « Patres » appellantur ita comparandae sunt, ut Patrologia vitis Patrum det operam, scripta eorum recenseat, eorumdem librorum authenticitatem discutiatur, ac de diversis *Operum* editionibus sermonem faciat, aliis verbis *exteriora Operum* Patrum principaliter consideret; Patristica vero Patrum doctrinas exponat atque examinet, earumdemque doctrinarum thesauros prodat. Animadvertendum tamen est cum ipso Bardenhewer (3) vocabulum « Patristica » hucusque in sensu « Patrologiae » adhibitum fuisse, et si quando « Patristica » et « Patrologia » separantur, disciplinas intime ad invicem connexas esse.

Theologia *Biblica* - inquit P. Prat, (4) - sectio quaedam Theologiae Positivae est. Cum duo dentur revela-

(1) Cfr. *Vox Urbis* mens. Febr. MCMX p. 20.

(2) BARDENHEWER. *Patrologie Einleitung*.

(3) TIXERONT. *Histoire des dogmes* - La Théol. Anténicéenne. Intr. p. 4.

(4) *Théologie de S. Paul* Intr. I.

tionis divinae fontes, Scriptura nempe et Traditio, Theologia *Biblica* solummodo Scriptura utitur, atque eiusdem scopus est: Scientiae exegeticae labores colligere, iuxtaponere, comparare, eisque proprium locum in revelationis historia assignare, atque Theologiae *Scholasticae* basim securam idoneamque materiam praebere.

Uno verbo, Theologia *Biblica* fructus exegeseos simulque Scholasticae germen vocari potest. Theologia haec in Theologiam biblicam Novi Testamenti ac Veteris Testamenti dividitur, prouti Veteri vel Novo Testamento operam impendit. (1)

* * *

Placuit quibusdam distinctionem facere inter tria haec, *Historiam dogmatum*, *Historiam Theologiae*, *Theologiam historicam*. Obiectum *Historiae dogmatum* consistit in exponendis laboribus intellectus circa primitiva revelationis documenta, quibus laboribus medianibus, documenta illa perfectius possidentur, illuminantur, foecundantur, evolvuntur atque in scientificum harmonicumque systema coordinantur. Obiectum *Historiae Theologiae* reponendum est, tum in expositione progressus doctrinarum quae ab Ecclesia receptae ac definitae sunt, tum in expositione originis ac progressus systematum necnon sententiarum quae speciales et propriae Theologis fuerunt. (2)

Obiectum denique *Theologiae historicae* est demonstrare a) quomodo doctrinae christianae quae actualiter retinentur, solido nitantur fundamento; b) quomodo praesentium fides cum fide apostolica colligetur, quomodo christiani aetatis nostrae discipulorum Iesu Christi haeredes legitimi sint.

(1) Cfr. *Revue des sciences Philos. et Théol.* Janvier 1907 n. 1 p. 130-33. Ibi sequentia habentur, I. *Matière et objet de la Théologie biblique*. II. *La place de la Théologie dans l'organisme de la Théologie*. III. *L'objet de la Théologie biblique distingué de celui de l'histoire d'Israël et de celui de l'Archeologie biblique*... IV. *Sources*.

(2) TIXERONT, l. c.

Ab hisce notionibus dissentit P. Jacquin O. P. (1), pro quo, denominationes « *Historia doctrinarum, Historia Theologiae, Theologia Positiva* » a scriptoribus confuse adhibentur, imo eo fine, ut *Opera* sub historiae specie, atque solius historiae eademque methodo scripta, novo titulo donentur. « *Historiae dogmatum* » denominatio, Protestantismum sapit, aequivocatione laborat, nimium restringitur; dum denominatio « *Historia Theologiae* » illam historiae partem indicat, cuius scopus est, phases successivas laboris scientifici circa Christianismi doctrinas effecti sive ante, sive post dogmaticas definitiones, exponere.

Denique, expressiones « *Theologia Positiva, Theologia Historica* » quia eandem prae se ferunt significationem, inter se conveniunt, nisi datis (*résultats*) criticae theologiae primam denominationem tribuere velimus, secundam vero synthesis effectui. (2)

In hac opinionum varietate, tria haec, *Theologiam historicam, biblicam, atque patristicam*, ita inter se comparare libet. a) *Theologiae historicae* munus est ostendere quo tempore, quomodo, quibus in circumstantiis, per quos adversarios, quosve defensores, dogma aliquod Ecclesiae explicite vel implicite revelatum maiorem lucem claritatemque accepit. b) *Theologiae biblicae* munus est, ope philologiae, criticae necnon historiae auxilio, textus tum ex Novo, tum ex Veteri Testamento Theologo praebere, qui textus veritates catholicas reapse probant. c) *Theologiae patristicae* tandem munus est, Patrum testimonia per sanam criticam examinare, eaque eligere ac theologo tradere, quae veritatibus catholicis reapse favent.

* * *

Apologistae recentiores dissentiunt circa « *Theologiae Apologeticae* » notionem, ita ut dicatur vel « *Ars defendendi christianam religionem contra eius adversarios* », vel « *Scientifica defensio Christianismi per argumenta in quibus Christianismus fundatur* », vel « *Demonstratio et defensio religionis christianae* », vel « *Pars Theologiae quae de iustificatione necnon fidei christianae defensione scientificè agit* ». (3) *Theologia Apologetica* - ait P. Gardeil (4) - est doctrina supernaturalis in suo principio non secus ac *Scholastica Theologia*, eius tamen scopus apologeticus est, theologia supernaturalis extensione fit apologetica. Est quaedam Theologiae pars contra fidei adversarios arguens. *Positiva* dicitur, si revelationis thesaurus manifestet, *polemica, defensiva*,

(1) *Revue des sciences philosophiques* etc. Janvier 1907 p. 99. In nota legimus « L'essai tenté par le savant auteur (Tixeront), de trouver un objet déterminé pour chacun d'eux, laisse place encore à des incertitudes à des équivoques. Lui-même n'y échappe peut-être pas dès la première page de son livre, qui porte comme titre « *Histoire des dogmes* » et en sous-titre « *Théologie anténiceenne* ». Mgr. Batiffol intitule ses travaux historiques, *Études d'histoire et de Théologie positive* (Cfr. *Bulletin de Littérature historique*. Juin 1906 p. p. 170-171); et d'autres, (Shedd, Fischer, Bethune-Baker) parlent d'*Histoire de la doctrine chrétienne* (*History of christian doctrine*).

(2) Cfr. LEMONNYER - *Revue du Clergé français*, 1903.

(3) VACANT. *Dictionnaire* p. 1511.

(4) *La Crédibilité et l'Apologétique* l. 3 ch. 3, in nota, et chap. 3.

negativa vocatur si contra suos adversarios Christianismum defendat.

Animadvertenda est cum Professore Kühn (1), differentia inter Apologiam et Apologeticam. Proprium *Apologiae* est ostendere quam rationabiles atque in veritate fundatae sint tum doctrinae tum institutiones christianae quae ab incredulis impugnantur; *Apologeticae* vero proprium est, Christianismi veritates scientificè defendere, vel argumenta tum veritati religionis christianae, tum veritati Ecclesiae faventia systematicè exponere, ad utrasque defendendas; ita ut Apologetica sit: « *Scientia theologiae* » et praecise: « *Scientia Apologiae Christianismi* ».

Remanet *Theologia Pastoralis*, quae nonnisi instructio quaedam scientifica est, ad munus pastorale catholicum per animarum ministros sub Spiritus Sancti influxu exercendum, ad Dei gloriam necnon ad hominum sanctificationem. Vel est: « *Pars quaedam Theologiae illius: quae « practica » dicitur, connexa tamen cum principalioribus disciplinis, sive disciplinae sint historicae, sive ad Theologiam systematicam pertineant* ». Vel est: « *Scientia muneris pastoralis in Ecclesia circa animas exercendi ad imaginem boni pastoris, qui est Christus Iesus* ». (2)

* * *

Ex notionibus traditis, necnon ex muneribus Theologiae tum *Scholasticae* tum *Positivae* tributis deducere licet:

a) errare Theologos, qui dum Theologiam *Positivam* nimium extollunt, Theologiam *Scholasticam* spernunt. Siquidem, prout Angelicus animadvertit (3), « *si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquirat, sed vacuus abscedet* ». Praeterea utraque pars, *Positiva* nempe ac *Scholastica* Theologiae aequali modo necessaria est, si verae scientiae naturam sibi vindicat. Ambae enim simul coniunctae mutuo se adiuvant, mutuoque se complent atque perficiunt, dum e contra ad invicem separatae, non parvi momenti inconvenientiis viam adaperiunt. Divisio Theologiae in positivam et scholasticam - inquit ad rem Bainvel (4) - etsi possit esse utilis practice, non tamen ita urgenda est ut separari utraque possit. Minus autem probari potest divisio in scholasticam et criticam, quippe quae falsum conceptum importet. Scholastica est fides quaerens intellectum.

b) Errare Theologos, qui dum Theologiam *Scholasticam* nimium extollunt, Theologiam *Positivam* spernunt. Theologiae enim *Scholasticae* affirmationes absque Theologiae *Positivae* documentis solido non nituntur

(1) *Encyklopedie und Methodologie der Theologie* II, THEIL II Abschn., 1. kap. Apologetik.

(2) Cfr. KÜHN l. c. I. *Pastoraltheologie Schück Handbuch der Pastoraltheologie, Allgem. Einleitung* §. 3.

(3) *Quodl.* 4, 18.

(4) *De Magisterio vivo* etc. c. 4 de scientia fidei et theologia 171. BEL-LAMY, l. c. c. VIII.

fundamento atque arbitrariae videri possunt. Non immerito M. Canus (1) hosce theologos « ascriptitios » vocat, cum « universas quaestiones theologicās frivolis argumentis absolverint » deque eorum libris ait: « Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere ex puerilibus disciplinis; scholastici tamen, si superis placet, vocantur, nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum feces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum ».

c) Theologiam Scholasticam ac Positivam mutuo foedere consociandas esse; proprium siquidem Theologiae *Scholasticae* est in Theologia *Positiva* fundari, atque ex Theologiae *Positivae* documentis veritates theologicās deducere, deductasque rationis momentis confirmare. Scholastici Theologi meminerint « ea quae in sacris literis et Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris » Scholasticam eruere. Colligit - inquit Canus (2) - Theologus ex principiis fidei a Deo revelatis conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationem naturae consentaneam explicat ».

Audiat Pius Papa X in Epistola sua « *Pascendi* » die 8 Sept. 1907, ita Episcopos atque Archiepiscopos Ecclesiae alloquens: « Eos etiam dignos videri, qui incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aequè omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam Theologiam despiciere videantur ».

d) Deceptos esse *Modernistas*, qui dum inter veram falsamque Scholasticam, inter veros falsosque Scholasticos confusionem ingerunt, de Scholastica theologia ac de theologis Scholasticis rident, atque utrumque in despectum penes indoctos ponunt. (4) Irrationabile enim est ex defectibus supervenientibus rei alicui, circa ipsam rem iudicium ferre. Modo Scholastica methodus

(1) *De Locis Theol.* I. 8 c. 1.

(2) *L. c.*, c. 2.

(3) Non aliter BELLAMY (l. c.): « Sans la Scholastique, la méthode positive ne serait guère autre chose qu'un vaste repertoire de faits et de textes, un catalogue plus ou moins aride de documents, qui n'offrirait à l'esprit humain qu'une satisfaction médiocre et un intérêt secondaire... Sans la positive, la scholastique serait insuffisante, surtout à une époque comme la nôtre, où la critique joue un rôle si capital... mériterait alors le reproche que lui faisait Renan, de ressembler « a une cathédrale gothique » dont elle aurait « la grandeur, les vides immenses et le peu de solidité ».

(4) Cfr. *Programma dei Modernisti* p. 88. ZINO ZINI, (*Il Pentimento e la Morale Ascetica ecc.* Prefazione p. IX-X) de operibus Scholasticorum scribit: « Sono falangi interminabili di libri, cattedrali di sillogismi d'una complicata architettura, minuziosamente costrutte, tutt'un'opera artificiosa, paziente e inutile... non hanno aggiunta una sola idea allo spirito umano. »

bona est, neque vitio illius tribui potest, si temporum progressu, theologi quidam, Scholasticae Theologiae corruptores extiterint; non ab hisce hominibus genuina Theologiae Scholasticae natura est inferenda, sed a Theologis qui revera « Principes » Scholasticae fuere. (1)

e) Prae magistrorum catholicorum oculis sint verba Leonis XIII (*Litt. Aeterni Patris* 4 Aug. 1879): « Si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile: id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) PALLAVICINI (*Storia del Conc. di Trento* I. 7) optime ait: « La Scolastica è la più nobile e la più difficile di tutte le discipline. Molti se ne arrogano l'attitudine, pochissimi l'hanno: questi sono stabilmente ammirati, gli altri con processo di tempo chi negletto, chi ignoto, chi schernito. »

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Serere ne dubites.

Rusticanum adagium, quo monemur, ne quando pigeat eiusmodi rerum aliquid moliri, a quibus nihil omnino dispendii, plurimum emolumenti possit proficisci, si non in praesens, certe in posterum; si non nobis, at saltem posteris. Columella (*De re rustica*, XII): « Quare - inquit - vulgare illud de arborum positione, rusticis usurpatum " Serere ne dubites », . Nam aedificatio nonnunquam exhaust fructus; negotiatio pendet a fortuna, neque paucis male cessit. Eundem ad modum, ex aliis aliud, atque aliud est vel incommodi, vel periculi; sed ex arboribus conserendis plurimum capitur commoditatis, neque magno tamen impendio constat ». Eandem sententiam Vergilius, addita figura, sic extulit (*Georg.*, II):

Et dubitamus adhuc serere, atque impendere curam?

Fortes fortuna adiuvat.

Admonet adagium, fortiter periclitandam esse fortunam; his plerumque res prospere cedere. Proptereaquod id genus hominibus fortuna quasi faveat, infensa iis, qui nihil audent experiri, sed veluti cochleae perpetuo latent intra testas. — Cicero (*Tuscul. quaest.*, II): « Fortes enim non modo fortuna adiuvat, ut est in veteri proverbio, sed multo magis ratio ». — Citatur alibi ex Ennio; usupatur in *Aeneide* Maronis, atque adeo passim ab omnibus. Ovidius (*Fast.*, II): *Audentes forsque Deusque iuvat.* Idem adlusit: *Audaces adiuvat ipsa Venus.*

Ubi timor, ibi pudor.

Proverbialis sententia, quam Suidas indicat esse Epicharmi, similis est Terentianae illi: « Omnes deteriores sumus licentia. Et maxima pars hominum formidine fustis a malefactis temperat ». Plato (*De leg.*, v): « Audacia vero patit impudentiam ». Item in *Eutyphrone* citat ex poeta quopiam; est enim hemistichion carminis heroici, quod latine sonat: « Ubi enim timor, et pudor illic ».

Fures clamorem.

Fures clamorem (subaudiendum: timent, aut senserunt). Quadrabit in eos, qui, sibi conscii, metuunt ne deprehendantur; aut qui peracto maleficio fugitant, pavitantque. Habet autem hoc cum omnino malefacti conscientia, tum praecipue furti, ut hominem trepidum reddat, ac lucifugam. Huc adlusit Vergilius:

*Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille,
Tityre coge pecus, tu post carecta latebas.*

Carcini Strobilis fortunatior.

Ironia proverbialis in infelicem et improbum. — Carcinus poeta quispiam fuit, cuius filii dicti sunt Strobili ab Aristophane, quos etiam dulcicervicos nominat. Iocus autem sumptus est a nominum adlusione. Nam Graece Carcinus cancrum, Strobili cochleas significant: utrumque genus distortum et foedum. — Adagium recensetur apud Suidam et Zenodotum; exstat apud Aristophanem in *Pace*.

Ex umbra in solem.

Ex umbra in solem educere, est rem prius abditam et otiosam in publicum et communem vitae usum deducere. — Translatum ab athleticis, quibus mos solis et pulveris patientia confirmare corporis robur; delicatorem autem est in umbra latitare. Venustius fiet si ad animi rem torqueatur; veluti si quis dicat, philosophiam a Socrate ex umbra in solem esse productam. — Exempla passim apud scriptores obvia.

Barbae tenus sapientes.

Ita dictum, quod praeter barbam et pallium nihil philosophi haberent. Usurpatur aliquoties apud Plutarchum in *Symposiacis*. Huc adlusit Horatius, quum ait:

Iussit sapientem pascere barbam.

Lucianus item iocatur in philosophorum profundam barbam; et Martialis:

Propendet mento nec tibi barba minor.

SACELLUM AD TRES SPICAS

NARRATIO SIMPLEX (1)

*Quae iusta, caelo vindice,
flagella nobis imminent,
amat Maria, sontium
suprema spes, avertere.*

*Millena nos id edocent
exempla; quae ne congeram,
hoc, lector, unum testibus
ab Alsatinis accipe.*

*E monte, qui Colmariam (2)
prospectat, insidens equo
vir, Ditericus nomine,
vallem petebat proximam.*

*Illuc, in oppidi forum
frequens arator triticum,
quo Ditericus indiget,
venale comportaverat.*

*Declive vix ut hic iter
ingressus est, fit obvia,
affixa vastae quercui,
Icon eunti fictilis.*

*Refert Imago flebilem
Christi Parentem, mortui
dum scissa membra Filii
suis in ulnis excipit.*

(1) Sacellum ad Tres Spicas inde ab anno MCCCXCIII aedificatum est. — Ditericus ille, in carmine memoratus, cognomen habebat Schöre, eratque incola pagi montani Orbey, ubi artem fabri ferrarii exercebat. — Alter pagus in valle situs, quo Ditericus triticum empturus se conferebat, appellatur Nieder-Morschweilér. — Media fere inter utrumque pagum surgit, vastis circumsepta silvis, Aedes Marialis. — Huc, ex oppido vicino Türkheim, per multas ambages lata ducit sed ardua via, quam ab aliquot annis ampli terunt currus, vi electrica acti. — Eorum, qui Tres Spicas pietatis causa invisunt, numerantur quotannis triginta circiter milia. — Calente aestate, alii etiam illuc conflunt advenae, quos gratum dumtaxat trahit frigus, et aëris puritas, ac montanae silvestrisque regionis varietas et magnificentia.

(2) Id est Colmar, Alsatiae superioris urbs princeps.

*Sistit viator, asperum
Matris dolorem cogilans,
quum (mira res!) stat, aethere
delapsa, Diva cominus.*

*Quae mox, stupentem comiter
affata, dixit: « Nuntius
i tu meus; dic incolis,
iram Dei ne provocent.*

*« Audi tonantem Vindicis
vocem; vide, quol emicent
(quae continere vix queo)
ferire prompta fulmina! »*

*Sic fata, duram grandinem
manu sinistra; dextera
spicam trisulcam porrigit,
granis refertam turgidis,*

*his usa verbis: « Grandine
signatur atra sontibus
parata clades; ditia
arista signal praemia. »*

*Turbatus emplor mundinas
adit, brevemque tritico
saccum replet, nec hiscere
ausus suo de nuntio.*

*In terga vero sarcinam
ut vult equina tollere,
moles fit ingens sacculus,
nullis movenda nisibus.*

*Frustra vir alter, tertius
quartusque tentat pondera;
frustra quaterni viribus
conata iunctis innovant.*

*Tum Ditericus denique
mandata pandens credita,
invitat adstantes, sua
ut quisque menda corrigat.*

*Patrata, cunctis arbitris,
portenta plebem moverant;
fides loquenti, moribus
ad recta versis, additur.*

*Quid plura? surgit illico,
quà sacra quereus eminent,
templum, piamque flosculi
ornant facesque Inaginem.*

*Silvestris ille et invius
repente mons orantium
scatet calervis, arduas
laetis subire semitas;*

*laelis, canendo, Virginem
laudare, quae si cantica
reiecat echo, penniger
silenter adstupet chorus.*

*Nec, saeculis labentibus,
labascit Aedis gloria;
aetate nostra, vidimus
viam patere regiam;*

*in qua vapore perciti,
vel igne rapti fulgurum,
currus volant, effundere
turmas piorum fervidi.*

*O rore dio largiter
perfuse, Mons sacerrime,
quem planta pressit candida
regentis astra Virginis!*

*Te montium, te vallium
visat, revisat incola,
compos futurus omnium,
quae postulârit, munerum.*

*Agris feraces impetret
spicas; amantior tamen
frugis piae, caelestia
cui destinantur horrea.*

*Nec te viator obterat
profanus, audax lubrica,
dum fervet aestas, gaudia
almis sub umbris carpere.*

ARRAE GORGONIAE

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

(Cfr. num. sup.).

SCENA X. (Dubium).

BARBAAL solus.

BARB. (*eum oculis prosequitur usque ad extremam partem: sistit laetus*)

Sic, sic... En ille laqueo suspenditur! (*vertit se ad laevam et inspicit intro*).

At iste? Torqueor quibus molestiis! (*pausat, progreditur lente cogitabundus*).

Estne Messias? Nazarenus dicitur, (*sistit iterum*)

Olim venturus ex Ægypto peregre,

Eum dicunt passim Davidis filium...

Sed ipse princeps noluit salutarier!

(*pausat*) Gravis sane res, tricis at plenissima!

Si esset Messias?... Cur ei contrarii

Adsunt Pharisei, Scribae? Non parcat eis:

Imo conviciis mordet perpetuis.

(*elata voce*) Abite viperarum vos progenies...

(*submisso*) Fuit sed dulcis Samariae feminae,

Fuit Sydonia quae colebat numina...

Et illi Magdalo fuit quae scandalum.

Verbis ipse utitur modo novissimis,

Legi sed omnibus perfecte consonis.

Eius, verum est, lex nova, aequalis veteri...

Ubi sit dispar sacerdotes nesciunt,

Eamque carpunt, vocant et blasphemiam.

At obrui saxis volunt adulteram...

Ut ipsa sancta voluntas exigit...

Esto: Sed ille pellat primus lapides

Cui non istud imputetur criminis.

Cadunt tunc lapides cunctis e manibus.

Hic est Messias, annon? Atrox dubium!

In eremo prius tentavi perperam

Et mox in templo, montis super vertice:

Haud imperare voluit lapidibus,

Dedit de monte nec se se praecipitem,

Neque adorare me superbe voluit.

Mirum patrare certe tunc debuerat...

Potens erat sed noluit! Sin' potius

Fuisset impotens? (*pausat indignabundus*) Adesset

Aetas supernis fati aeternis posita... [forsitan

Et esset ipse desiderium gentibus? (*pausat iterum,*

atque molestia interna agitata, se se paullatim extollit propemodum submisso)

Nequaquam posset hoc ultro contingere,

Ad me nam genus nunc humanum pertinet!

Dedi triumphans ius ei per saecula,

Opus vici primum creatoris optimum,

Quod et torqueatur saeculorum pondere.

Prior Heva, mox Cainus, mox caeterae

Gentes, quas perdidit Deus diluvio.

Noemus adstitit, Chamum sed impuli...

Babelem, Ninivem, Gomorram, Sodomam.

Bovem in deserto sustuli post aureum,

Dathan, Abiron, Saulem in superbiam...

Post Salomonem tenui impudicitia

Suosque filios; infractus Israel

Divisus est cunctis abreptus gentibus.

Meus late cultus gentes obtinuit...

Romae nunc imperat: Deus mox Abraham

Erit de gentibus depulsus omnibus.

Iehova, te vici: mundus mihi subditus!

(*Rumor auditur*).

SCENA XI. (Prophetiae)

BARBAAL, VOCES atque UMBRAE

(*Scena obscura, terra movetur, UMBRAE progrediuntur, vagantes, et mox introgrediuntur*)

BARBAAL. (*primum stupet, turbatur, deinde citato gradu ascendit, et in medio monte sistit*)

VOCES (*longinque*) Obiit! Obiit! Erat Christus et perit!

BARB. (*elata voce*) Ehu! me. En prophetiae! Victus sum

Si vero vici ipse, nunquam me domuit. [denuo

Portas inferni reserasti, Iehova,

Eas adaperiet crimen sed maximum.

Tui quis salvabit gentes immemores?

VOCES: Amor!

BARB. Qui posset perfidos hos iterum

Eum spernentes amantem convertere?

VOCES: Eius Cor!

BARB. Esto! certamen paratur novum.

Lucis imperium grande inter et tenebras

Adversum denuo surget ab inferis,

Recentibus fulgens quinque late radiis

Sidus, quod Romae rursus armis domitae,

Dabit mihi cultum, laudabit Satanam.

Super meum regnum, quid vox posset tua?

VOCES: Ruet! (*Non exauditus ipse disparet*).

SCENA XII. (Finis)

Rumor hominum longe loquentium mox mox a propinquantium. Hebraei turbatim descendunt, introgrediuntur ex omni parte pallentes timore ac terrore. OMNES, exceptis IUDA et BARBAAL.

NIC. (*ruit praeceps respicit, brachia movens atque introversus, dicit*: Venite! Adeste! *descendunt Sacerdotes, Scribae, Pharisei, Sadducae, tristes, silentes*)

HEBR. Consummata nunc res est!

NIC. (*Christum manu signans*) Adspicite!

VOCES (*intus*) Qui velum Templi scinditur!

NIC. (*ad Phariseos*) Audite? Velum prophetarum transiit!

Vos quod condigno iudicio insimulat!

VOCES: Deo vos ipsi sacras intulistis manus!

NIC. Omnis vos orbis una voce increpabit,

Dei venit Verbum, corpore circumdatum,

Iis novi ordo saeculi renascitur,

Colunt qui Christum crucifixum candide:

Eius Cruor cadit vobis in perniciem,

Super vos et super filiorum caput.

UMBRA (*Ex summo montis vertice*) Haudquaquam cadet cruor in perniciem!

Refræna pectoris sensus inconditos,

Adest Hic Iesus spei nostrae specimen!

Amor per orbem regnet unus, imperet!

VOCES MYSTICAE: Amor! Amor! — *Tonitrua et fulgura.*

Hebraei cum Nicodemo, more patrio, colunt, declinantes caput, brachiis extensis humi. Nicodemus, stans brachiis, elevat oculos ad caelum. Sacerdotes, Pharisei, ad sinistram sunt tristes, silentes. UMBRA tenet brachia extensa adversus Hebraeos; aulaeum tollitur lentissime.

FINIS.

COLLOQUIA LATINA

Dies remissionis. ¹⁾

POLYCARPUS. — O dies Iovi sacra, credibile non est quam optata et cara illuxeris, ut alias in hebdomadas singulas. Celebritatis venustatisque plena es!

IGNATIUS. — Pernovi cogitationes tuas. Quia lusus es, idcirco tam amice salutas praesentem diem.

P. — Vellem alternis reverteretur; non continens biduum nauseabundus tracto litteras.

I. — Votum asinorum; qui, si loquerentur, optare se dicerent cum Polycarpo meo, ut alternis tantum dorsa onerati inciderent.

P. — Non ego hoc solus, Ignati; complures mecum desiderant.

I. — Nempe sic est profecto ut dicam tibi: multi tecum magis amant catellos suos, quam studia bonarum artium, creduntque sibi dormientibus omnia confecturum Deum.

P. — Dum latine loqui sciam modo, Aristotelem et Euclidem tibi et aliis relinquam.

I. — At tu, ne latine quidem aliquando dices, si audiendi, legendi, loquendi, scribendi quamdam perseverantiam non adhibeas.

P. — Quorsus haec tetrica et incunditatis omnis expertia, ut Catones aliqui fabulamur? Hodie insigniter ludendum esse aio, instaurandasque vires, quas labor tam longus delassavit.

I. — Nec Ignatius ludum quietemque necessariam recusaverit; quin paratus sum hac ipsa hora tibi colludere; nulla tibi, hoc quidem in negotio a me difficultas erit. Remissiones crebras et extraordinarias odi, siquidem honestis moribus optimarumque artium studiis detrimentosae sunt.

P. — Tu fac et senti quod collibuerit; mihi indulgentia vacationum nihil potest contingere gratius. Magistri viderint quid, quibus, quando indulgeant; nostrarum partium esse statuo, quod conceditur non invitos accipere, quotiescumque conceditur.

I. — Olim cognosces te nimium luisse.

P. — Et tu perspicias olim te nimium studuisse, quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum male concoquet, corpus totum pallor et macies obsidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

I. — O falsidicum vatem! Haud ita me intem-

peranter ingurgito litteris, ut istas praedictiones formidare oporteat. Audivi etiam eruditos plurimos, ad decrepitam aetatem aevum extendisse, quum assidue in libris litterisque essent volutati.

P. — Ipse Thales ad sapientiam tuam merus nugator est. Desine philosophari: haec lux hilariter consumenda est.

I. — Qua tandem ratione consumenda est?

P. — Visne in prata virentia concedamus, ibique pila experiamur palmaria?

I. — Volo sane: utile et incundum est hoc ludendi genus. Ascende e vestigio in conclave, et defer amborum pallia cum pila.

P. — Ubi est pila?

I. — In pluteo, aut certe in capsula ductili sub mensa.

P. — Eo ut afferam.

I. — Actutum redi; hic te expectavero.

P. — Illic sum, atque hic sum.

EX ITALIS URBIBUS

Guidoni Monacho Pomposae in oppido monumentum
dicatum

III^o Non. Iun. currentis an. MDCCCX, Pomposae in oppido ad Ferrariam, sollempni ritu monumentum Guidoni illi monacho positum est, qui musica signa invexit. Eventus memorabilis mihi visus est, ob monumenti ipsius praesertim inscriptionem, quam Ioannes Pascoli, scriptor Italicae non modo, sed Latinae etiam linguae nostris diebus facile princeps, dictavit. Iudicent commentarii nostri lectores, quibus rem non incundam fore existimavi poetikum hunc florem offerens:

*Anni iam sunt mille: mihi sata pascua villae
mel erat et vinum, fruges et textile linum,
grex satur in caulis, erat altilis omnis in aulis.
Mugitusque boum iubar explorabat eoum;
dumque mea cura fluitant florentia rura,
ipsa dabam sanctum semper Pomposia cantum:
UT proscissa bonos REDamarent arva colonos,
MITisque haec victu, FACILIS quoque vita relictu,
SOL laetus laetis, LABOR hic foret arra quietis.
Haec prius: alterno torpebam deinde veterno,
cum terrae matri decessit vomis aratri.
Amisissis rastris, ego mansi sola sub astris.
Tum mihi squalenti cecinerunt undique venti
atque iracundae tantum procul aequoris undae,*

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

Tum Manes multos monachorum rite sepultos

voce queri maesta nox audiit intempesta.

Nunc priscae fama meminerunt denique lamae;

nunc rident orae foliis herbisque decorae.

Quod fuit est: lentam stupeo remeare iuventam;

has segetes laetas longissima ventilat aetas.

Hic mihi cum fido monachus canit agmine Wido.

Anno sal. MCMX die III Iunii Sodales Musicologi

Ferrarienses pon. cur.

IOANNES FERRARIENSIS.

EX POLONIA

Grunvaldensis triumphus V centenaria commemoratio.

Appropinquant Idus Iuliae, festus ac sollemnis dies populi Poloni! Quintum enim iam saeculare in hunc annum incidit, ex quo Poloni apud Tannenbergaum ac Grunvaldum praeclaram ab equitibus cruciferis reportaverunt victoriam atque immortalem sibi gloriam pepererunt. Quam memoriam universi Poloni sollemni ritu atque ingenti paratu celebrabunt. Magna est memoria; nam et res parva non fuit. Grunvaldensis victoria lucret et per se splendet; est enim omnium xv saeculi factorum nobilissimum praestantissimumque: Poloni christianorum, sicut consueverant, more iustum bellum paraverunt eodemque modo in victos ac subiectos consuluerunt; Grunvaldensi victoria regnum Polonum in Europa facile princeps factum est, potentiaeque gloriam est consecutum; proelium illud « Teutonici Ordinis » latrociniis finem fecit; plaga autem Grunvaldensis letalis fuit, quia vulnus nullo medicamento sanum fieri quivit.

A Conrado duce adversus Borussos advocati et prope Vistulae ostia collocati equites Ordinis Teutonici, quibus vulgo cruciferorum nomen, statim de magnis bellis consilia inire et cum ensiferis Livoniae equitibus coniuncti Poloniae arma intentare omnique nomini Polono imminere coeperunt. Miseros Borussos ad Christi doctrinam igni ferroque traducebant et, ut eos in officio continerent, crudelissime iis imperabant. Quod autem pro Christo militare videbantur, non solum multarum civitatum, sed etiam ipsius Poloniae auxilium conciliabant. Sed ille vetus bellandi finis paulatim omnino evanuit et mox proprium Teutonicum ingenium apparuit. Cruciferorum civitas procul dubio Germanorum agmen primum facta est et Polonos ad certamen provocavit, quamquam Poloni eos donaverant atque adjuverant. Conradus dux id fore non est suspicatus eorumque ingenium ac dolum sensu praecipere non potuit. Cruciferi enim adeo simulandi ac dissimulandi periti erant, ut non solum Poloni, sed etiam in ceteris civitatibus pro-

bissimi ac prudentes viri insano studio affecti atque incensi rem Poloniam iniustam haberent, et Polonos gentem praedatoriam impetum in pios quietosque equites facere eosque, quominus pium Dei opus in hoc mundo conficerent, prohibere arbitrarentur! xiv demum et ineunte xv saeculo omnes Europae incolae cognoverunt, quam metuendus eques ille Teutonicus cum signo crucis in pectore, cum gladio in manu, calliditate autem in animo esse posset, quamque perverse simulationem, perfidiam cum vi atque iniuriis coniungere sciret.

Tales erant cruciferi, quibuseum pugnandum erat.

Rege Ladislao Iagellone regnante, iam minime latebat Conradi ducis imprudentiam non nisi maxima totius civitatis Poloniae fortitudine redimi posse. Poloni enim illo tempore minus valebant, quam qui ferocibus equitibus resistere possent. Itaque se cum Lituaniis coniunxerunt, et propter hanc coniunctionem magnam in Europa potentiam nacti sunt. Quae res cruciferis ingentem iniecit timorem. Saevire coeperunt equites, cum primum compererunt Lituanos iam a Polonis ad religionem christianam adduci atque ad humanitatem informari coeptos esse. Uno igitur die Ordo equitum Teutonicorum ingentem praedam, quae in eorum manus ventura erat, finemque, cuius causa huc venerant, amiserunt: superfluos se iam esse viderunt. Sed feliciori aemulatori sponte cedere nimia Ordinis superbia eos non est passa: ad bellum igitur consurgendum iis erat. Nulla illis temporibus in Europa civitas cum Ordine sine clade ac magno detrimento configere potuit; nam dissolutus feudaliter nexus disciplinam militarem debilitabat et comminuebat. Omnes reges ex suorum subditorum arbitrio pendebant, Polonis tantummodo et equitibus exceptis: hi enim clientes, qui fundos beneficii iure possiderent, non noverant. Quia autem iam centum fere annos ad atrocissimum atque acerrimum proelium praeparabant, ita se constituerunt, ut tempore dato omnia in discrimen ponerent vitaeque periculum adirent.

Apud Grunvaldum duae potentissimae Europae partes, universi Germani, quibus equites Teutonici praeerant, cum universis fere Slavibus, in quibus Poloni primum tenebant locum, primum proelio decertaturi erant. Ipse magister Ulricus de Iungingen equitum copiis praeerat, quae ex omnibus in occidentem spectantibus terris ei auxilio venerunt. Sed et regis Ladislai Iagellonis signa praeter nobilium cohortes secuti sunt fortes et clari Poloni milites, qui in alienis civitatibus fortissimos se praestiterant. Dum Ladislaus rex Deum invocavit Eique supplicavit, Lituavorum milites cum cruciferis configunt pedemque referunt. Quo facto Poloni carmen patrium « *Boga Rodzica* » vociferantes signa inferunt.

Utrumque acriter pugnatur, sed aequo Marte res ducitur. Iam delectae cruciferorum copiae victoriae momentum facturae sunt, cum Polonorum subsidia, quia ultimi discriminis tempus adventare vident, in hostem

vehementissime impetum faciunt plurimosque occidunt. Ipse Ulricus de Iungingen una cum nobilissimis ac fortissimis equitibus occubuit... Omnibus eruciferorum signis Poloni potiti sunt.

Hoc memorabili die virtus et superbia Ordinis fracta est et domita; hoc die cognitum est, utrum Ordo Teutonicus, an Poloni in Europa, maiorem auctoritatem essent habituri. Haec clades universam Europam futura Germanorum servitute liberavit servavitque. Sed Poloni id, quod sane dolendum est, ex hac victoria

reciperent; Poloni autem nonnisi Dobrinum, Lituani Samogitiam retinerent.

Parvus erat igitur fructus prae tanta victoria; sed maior alibi est quaerendus. In proelio Grunvaldensi Ordo ingentem suarum virium gloriam amisit; opes eius fractae sunt: nam eum vinci posse apparuit. Iam nunquam post hanc cladem se erexit: languescere et paulatim cadere coepit. Quanto autem equites vires deficiebant, tanto Polonis crescebant.

Cum defectione virium dies fortunae adversae, de-



Grunvaldensis pugna. (Ex tabula I. MATEJKO, Cracoviae asservata).

iustum ac meritum fructum capere nesciverunt. Non erant enim acres in rebus gerendis; celeriter quidem inflammabantur, sed mox languescebant; maximam partem propriae erant utilitatis cupidi et magnam in fortuna ac victoria fiduciam collocabant. Quibus rebus factum est, ut fructuum capiendorum occasionem de manibus amitterent, Ordinem autem se ex timore recipere, auxilia contrahere, Mariaeburgum — quod erat eruciferorum civitatis caput — acerrime ac pertinacissime defendere bellumque ducere sinerent.

Anno MCDXI prope Thoronium pax est inita, qua convenit, ut, quidquid in Borussia occupatum, equites

decoris et infamiae venire coeperunt. Inexorabilis enim omnium manifestorum atque occultorum facinorum dea vindex non passa est eum honesta, dulci et gloriosa morte in proelio ad Grunvaldum perire posse. Nemesis iussit eum aliter perire, iussit eum foedissima, ignominiosissima turpissimaque morte interire, odio ac proditione suorum civium!

Cracoviae, mense Iunio MCMX.

LAD. LUD. PODOBINSKI.

Ut semel emissum est, volat irrevocabile verbum.

Hor. Ep. I, 18.

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. PII PP. X litterae encyclicae ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.

VENERABILIBVS FRATRIBVS

PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIBVS EPISCOPIBVS

ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS

PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PP. X

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Editae saepe Dei ore sententiae et sacris expressae litteris in hunc fere modum, iusti memoriam fore cum laudibus sempiternam eundemque loqui etiam defunctum (1), diuturna Ecclesiae opera et voce maxime comprobantur. Haec namque sanctitatis parens et altrix, iuvenili robore vigens ac Numinis afflatu semper acta *propter inhabitantem spiritum eius in nobis* (2), quemadmodum iustorum sobolem nobilissimam ipsa una gignit, enutrit, ulnisque complectitur suis, ita materni amoris instinctu de ipsorum retinenda memoria atque honore instaurando se praebet apprime sollicitam. Ex ea recordatione superna quadam suavitate perfunditur et a mortalibus huius peregrinationis miseris contuendis abducitur, quod beatos illos caelicolas *gaudium suum et coronam* esse iam cernat; quod in ipsis eminentem agnoscat Sponsi caelestis imaginem; quod novo testimonio suis filiis antiqua dicta confirmet: *diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* (3). Horum autem praeclara facinora, non modo sunt ad commemorandum iucunda, sed etiam ad imitandum illustra, et magnus virtutis excitator est concentus ille sanctorum Paullinae resonans voci: *imitatores mei estote sicut et ego Christi* (4).

Ob haec, Venerabiles Fratres, Nos, qui vixdum suscepto pontificatu maximo, propositum significavimus enitendi constanter ut « omnia instaurarentur in Christo »; datis primum encyclicis litteris (5) impense curavimus ut Nobiscum omnes intuerentur in *apostolum et pontificem confessionis nostrae, ... in auctorem fidei et consummatorem Iesum* (6). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei numine, aliud a nobis est exemplar propositum, quod quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra, Beatissima Virgo Augusta Dei Mater (7). Varias denique nacti occasiones recolendae memoriae sanctorum caelitem, communi admirationi obiecimus fideles hosce servos ac dispensatores in domo Domini, et, prout suus cuique locus est, Eius amicos ac domesticos, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* (8), ut illorum exemplis adducti, *iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia qui est caput Christus* (9).

Altissimum hoc divinae Providentiae consilium in tribus maxime viris perfectum fuisse docuimus, quos magnos pastores eosdemque doctores diversa quidem aetas tulit, sed aequae propemodum Ecclesiae calamitosa. Hi sunt Gregorius Magnus, Ioannes Chrysostomus et Augustanus Anselmus, quorum saecularia solemnia celebrari contigit per hos annos.

(1) Ps. cxi, 7. - Prov. x, 7. - Hebr. xi, 4. - (2) Rom. viii, 11. - (3) Rom. viii, 28. - (4) I Cor. vi, 16. - (5) Litt. Encycl. « E. supremi » die iv m. Octobr. mcmiii. - (6) Hebr. iii, 1; - xii, 2-3. - (7) Litt. Encycl. « Ad diem illum », die ii m. Februar. mcmiv. - (8) Hebr. xi, 33. - (9) Eph. v, 11 seq.

Binis praeterea Encyclicis Litteris datis iv Idus Martias anno mcmiv et xi Calend. Maias mcmix, doctrinae capita et christianae vitae praecepta, quotquot opportuna cadere in haec tempora visa sunt, e sanctorum exemplis monitisque decerpta, fusius evolvimus.

At quoniam persuasum Nobis est, ad impellendos homines, illustra Christi militum exempla longe magis valitura quam verba exquisitasque disceptationes (1); oblata feliciter opportunitate libentes utimur saluberrima instituta ab alio pastore sanctissimo accepta commendandi, quem huic aetati propiore iisdemque paene iactatum fluctibus Deus excitavit, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Mediolanensium Antistitem, ante annos CCC a sa. me. Paulo V in sanctorum album relatum, Carolum Borromeum. Nec id minus ad rem; siquidem, ut memorati Decessoris Nostri verba usurpemus: « Dominus, qui facit mirabilia magna » solus, magnificavit novissime facere nobiscum, ac miro « dispensationis suae opere statuit super Apostolicae petrae « arcem grande luminare, eligens sibi e gremio sacrosanctae « Romanae Ecclesiae Carolum, sacerdotem fidelem, servum « bonum, formam gregis, formam Pastorum. Qui videlicet « multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando « Ecclesiam, sacerdotibus et populo praeluceret quasi Abel « in innocentia, quasi Enoch in munditia, quasi Iacob in « laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi « Elias in ardenti zelo, quique imitandum exhiberet inter « affluentes delicias Hieronymi corporis castigationem, Mar- « tini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pa- « storalem sollicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini ca- « ritatem, ac demum videndum ac perspicendum ostenderet « oculis nostris, manibus nostris contrectandum hominem, « mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viventem « spiritu, terrena calcantem, caelestia iugiter negotiantem « et, sicut officio in angelum substitutum, ita etiam mente « et opere vitam angelorum in terris aemulantem » (2).

Haec Decessor ille Noster exactis quinque lustris ab obitu Caroli. Nunc vero, expleto anno tercentesimo ab imperitis eidem sacris honoribus, « merito repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione in insigni die « solemnitatis nostrae, ... in qua ... Carolo S. R. E., cui, « auctore Domino, praesidemus, Presbytero Cardinali sacris « decernendis honoribus, unice Sponsae suae nova impo- « neretur corona, ornata omni lapide pretioso ». Communis autem cum Decessore Nostro fiducia Nobis est, ex contemplatione gloriae sancti Viri, multoque magis ex eiusdem documentis et exemplis, debilitari posse impiorum proterviam et confundi omnes qui « gloriuntur in simulacris « rorum » (3). Itaque renovati Carolo honores, qui gregis ac pastorum huius aetatis exstitit forma, sacraeque disciplinae in melius corrigendae impiger fuit propugnator et auctor adversus novos homines, quibus, non fidei morumque restitutio proposita erat, sed potius deformatio atque restitutio, quum solacio ac documento erunt catholicis universis, tum iisdem stimulos addent, ut in opus, cui tam impense studemus, instauracionis rerum omnium in Christo, strenue conspirent.

Exploratum profecto vobis est, Venerabiles Fratres, perpetuo exagitata Ecclesia deseri a Deo nunquam omni consolatione destitutam. Eam namque *Christus dilexit... et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (4). Quin etiam, quo effusior licentia, quo acrior hostilis impetus, quo erroris insidiae callidiores afferre illi supremum videntur exitium, usque adeo, ut filios non pau-

(1) Encycl. « E. Supremi ». - (2) Ex Bulla « Unigenitus » an. mdcx, Cal. Nov. - (3) Ex eadem Bulla « Unigenitus », - (4) Eph. v, 25 sqq.

cos de gremio eius avulsos in vitiorum et impietatis gurgitem transversos agant, eo praesentiorum experitur tutelam Numinis. Efficit enim Deus ut error ipse, velint nolint improbi, in triumphum cedat veritatis, cui custodiendae Ecclesia advigilat; corruptio in incrementum sanctitatis, cuius altrix ipsa est atque magistra; vexatio in mirabiliorum salutem ex inimicis nostris. Ita fit ut, quo tempore Ecclesia profanis oculis videtur saevioribus iactata fluctibus ac paene demersa, tunc nempe pulchrior, validior, purior emergat, maximarum emicans fulgore virtutum.

Sic Dei summa benignitas novis argumentis confirmat, Ecclesiam opus esse divinum; sive quod in causa suscipiendi doloris maxima, ob irreperentes in ipsa eius membra errores et noxas, ei det superandum discrimen; sive quod ratum efficiat Christi verbum: *Portae inferi non praevalent adversus eam* (1); sive quod eventibus illud comprobet: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2); sive denique quod arcanae virtutis testimonium perhibeat, qua promissus a Christo, maturo huius in caelum reditu, *alius Paraclitus* in ipsam iugiter effunditur, ipsam tuetur et in omni tribulatione solatur; spiritus, *qui cum ipsa maneat in aeternum; spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum, quia apud vos manebit et apud vos erit* (3). Hoc ex fonte vita et robor Ecclesiae derivatur; hinc quod eadem, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum habet, manifestis notis instructa et « tamquam signum levatum in nationes », a quavis alia societate secernitur (4).

Nec sane absque divinae potentiae prodigio fieri potest ut, diffuente licentia et passim deficientibus membris, Ecclesia, quatenus est corpus Christi mysticum, a doctrinae, legum finisque sui sanctitate nunquam desciscat; ut iisdem rerum causis pares consecutiones et utilitates derivet; ex complurium filiorum fide ac iustitia fructus capiat salutis uberrimos. Nec minus perspicuum haustae a Deo vitae habet indicium, quod in tam foeda pravarum opinionum coluvie, in tanto perduellium numero, in errorum facie adeo multiplici, constans et immutabilis perseveret, *columna et firmamentum veritatis*, in unius professione doctrinae, in eadem communiione sacramentorum, in divina sui constitutione, in regimine, in disciplina morum. Idque eo plus habet admirationis, quod ipsa, non solum resistit malo, sed etiam vincit in bono malum, nec bene precari desinit amicis atque inimicis, de eo tota laborans idque assequi cupiens, ut et communitas hominum et seorsim singuli christianis institutis renouentur. Est enim hoc proprium eius munus in terris, cuius beneficia vel ipsi eius inimici sentiunt.

Mirabilis hic Dei providentis influxus in instaurationis opus ab Ecclesia propectum luculenter apparet ea maxime aetate, quae ad bonorum solacium dedit Carolum Borromeum. In eo dominatu cupiditatum, omni fere perturbata et effusa cognitione veritatis, perpetua erat cum erroribus dimicatio, hominumque societas in pessima quaeque ruens, gravem videbatur sibi conflare perniciem. Inter haec superbi ac rebelles homines consurgebant, *inimici Crucis Christi... qui terrena sapiunt... quorum Deus venter est* (5). Hi non moribus corrigendis, sed negandis Fidei capitibus animum intendentes, omnia miscebant, latiore sibi aliisque muniebant licentiae viam, aut certe auctoritatem Ecclesiae ductumque defugientes, pro lubitu, corruptissimi cuiusque principis populive, quasi imposito iugo; doctrinam eius, constitutionem, disciplinam in excidium petebant. Deinde, iniquorum imitati morem, ad quos pertinet comminatio: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum* (6), rebellium tumul-

tum et illam fidei morumque cladem appellarunt instaurationem, sese autem disciplinae veteris restitutores. Re tamen vera corruptores extiterunt, quod, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, defectiones horum temporum et secessiones maturarunt, quibus uno velut impetu facto, triplex illud, antea disiunctum, dimicationis instauratum est genus, a quo invicta et sospes Ecclesia semper evaserat; hoc est, primae aetatis cruenta certamina; domesticam subinde pestem errorum; denique, per speciem sacrae libertatis vindicandae, eam vitiorum luem ac disciplinae everisionem, ad quam fortasse nec aetas media processerat.

Decipientium hominum turbae Deus opposuit veri nominis instauratores, eosque sanctissimos, qui aut cursum illum praecipitem retardarent ardoremque restinguerent, aut illata inde damna sarcirent. Quorum labor assiduus et multiplex in restituenda disciplina eo maiori solacio Ecclesiae fuit, quo graviore haec premebatur angustia, comprobavitque sententiam: *Fidelis Deus, qui... faciet etiam cum tentatione proventum* (1). Iis in adiunctis laetitiam Ecclesiae cumulavit oblata divinitus Caroli Borromei singularis navitas vitaeque sanctitas.

Fuit autem in eius ministerio, Deo sic disponente, propria quaedam vis et efficientia, non solum ad infringendam audaciam factiosorum, sed etiam ad erudiendos Ecclesiae filios atque excitandos. Illorum namque et insanos cohibebat ausus, et inanes criminationes diluebat, eloquentia usus omnium potentissima, suae vitae et actionis exemplo; horum vero spem erigebat, alebat ardorem. Atque illud in ipso fuit plane mirabile, quod veri restauratoris dotes, quas in aliis disiunctas cernimus atque distinctas, ab juvenili aetate in se omnes recepit in unum collectas, virtutem, consilium, doctrinam, auctoritatem, potentiam, alacritatem, effecitque ut in commissam sibi catholicae veritatis defensionem contra grassantes errores, quod idem erat Ecclesiae universae propositum, singulae conspirarent, intermortuam in multis ac paene restinctam excitans fidem, providis eam legibus institutisque communiens, collapsam disciplinam restituens, cleri populique mores ad christianae vitae rationem strenue revocans. Sic, dum partes restauratoris tuetur omnes, haud minus mature *servi boni et fidelis* fungitur muniis, ac deinde sacerdotis magni, *qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus*; plane dignus in quem cuiusvis generis homines tum e clero tum e populo, divites aequae ac inopes, tamquam in exemplar intueantur; cuius excellentiae summa in episcopi atque antistitis laude continetur, qua, Petri Apostoli dictis obtemperans, factus est *forma gregis ex animo* (2). Nec minus movet admirationem quod Carolus, nondum exacto anno aetatis suae vicesimo, summos honores consecutus, magnis ac perarduís Ecclesiae negotiis tractandis adhibitus, ad perfectam cumulatamque virtutem, per contemplationem rerum divinarum, qua in sacro recessu animum renovaverat, in dies magis contenderet, eluceretque *spectaculum... mundo et angelis et hominibus*.

Tum vere Dominus coepit, ut memorati Decessoris Pauli V verbis utamur, *mirabilia sua* in Carolo pandere; sapientiam, iustitiam, divini honoris et catholici provehendi nominis studium flagrantissimum, in primisque curam instaurationis Fidei Ecclesiaeque universae, quod opus in augusto illo Tridentino Consilio agitabatur. Cuius habitus laus ab eodem pontifice ab omnique posteritate sic tribuitur Carolo, quasi viro, qui non ante illius exsequutor existerit fidelissimum quam propugnator acerrimus. Nec enim sine multis eius vigiliis, angustiis, laboribus omne genus, res est ad exitum perducta.

Haec tamen omnia nihil erant aliud nisi praeparatio quaedam vitaeque tirocinium, quo et pietate animus et

(1) MATTH. XVI, 18. — (2) MATTH. XXVIII, 20. — (3) IOAN. XIV, 16 sqq. — 26, 59; — XVI, 7 sqq. — (4) SESSIO III, c. 3. — (5) Philip. III, 18, 19. — (6) ISAL. V, 20.

(1) I Cor. x, 13. — (2) I Petr. v, 8.

mens doctrina et labore corpus exercebantur, ita ut modestus iuvenis ac de se demisse sentiens instar esset argillae in manibus Domini eiusque in terris Vicarii. Hanc scilicet rationem incundae viae novarum rerum fautores illi contemnebant eadem stultitia qua nostri, minime secum reputantes, mirabilia Dei ex umbra et silentio parentis animi pieque precantis in apricum proferri, in eaque exercitatione germen futuri adscensus, haud secus ac in semente spem colligendae messis, includi.

Nihilominus, quod paulo superius attigimus, auspiciata tam faustis initiis vitae sanctitas et actio tum se maxime explicuit effuditque fructus uberrimos, quum, « urbano splendore et amplitudine relictis, bonus operarius in messem quam susceperat (Mediolanum), discedit, ubi partes suas in dies magis implendo, agrum illum, malitia temporum, vepribus turpiter deformem ac silvescentem, in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem, praeclarum exemplum redderet ecclesiasticae disciplinae ». (1) Tam multa tanque praeclara is est consequutus conformando instaurationis opus ad normas a Concilio Tridentino paulo ante propositas.

Enimvero Ecclesia, probe intelligens, quam sint *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona* (2), cum vitiis et erroribus dimicare nunquam destitit, *ut destruat corpus peccati et ultra non serviamus peccato* (3). Qua in contentione, quemadmodum ipsa sibi magistra est et impellitur gratia, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*; ita cogitandi agendique normam sumit a Doctore gentium, aiente: *Renovamini spiritu mentis vestrae*. (4) *Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (5). Quam quidem se metam contigisse Ecclesiae filius atque instaurator non fictus existimat nunquam; ad eam tantummodo niti profitetur cum eodem apostolo; *quae retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequar, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu* (6).

Inde consequitur ut et nos cum Christo in Ecclesia coniuncti *crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus... augmentum facit in aedificationem sui in charitate* (7), et Ecclesia Mater in dies magis efficiatur sacramentum divinae voluntatis, hoc est, *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo* (8).

Ad haec animum non intenderunt auctores illi redintegrandae suo marte fidei ac disciplinae, quorum conatibus restitit Borromeus; nec ea nostri melius vident, quibuscum strenue nobis, Venerabiles Fratres, est dimicandum. Nam et hi Ecclesiae doctrinam, leges, instituta subvertunt, habentes in lingua promptum cultioris humanitatis studium, non quod eo de negotio valde laborent, sed quo titulis ad ostentationem paratis pravitatem consiliorum queant facilius obtegere.

Quid autem re agant, quid moliantur, quod iter affectent, neminem vestrum fugit, eorumque consilia denunciata per Nos fuerunt atque damnata. Proposita namque ipsis est communis omnium ab Ecclesiae fide ac disciplina secessio, eo vetere illa deterior quae Caroli aetatem in discrimen adduxit, quo callidius in ipsis fere Ecclesiae venis delitescit ac serpit, et quo subtilius ab absurde positis extrema deducuntur.

Utriusque pestis origo eadem; *inimicus homo*, qui ad humanae gentis perniciem haud sane exsomnis, *supereminavit zizaniam in medio tritici* (9); idem abditum iter ac tenebricosum; eadem progressio, idem appulsus. Etenim,

(1) Bulla « Unigenitus ». — (2) Gen. VIII, 21. — (3) Rom. VI, 6. — (4) Ephes. IV, 23. — (5) Rom. XII, 2. — (6) Philip. III, 13, 14. — (7) Ephes. IV, 15, 16. — (8) Ephes. I, 9, 10. — (9) Маттн. XIII, 25.

quemadmodum prior illa olim, qua fortuna rem daret eo vires inclinans, optimatum partes aut popularium alteram adversus alteram concitabat, ut utramque tandem ludificaret atque pessumdaret; sic recentior ista clades mutuum exacuit invidiam egentium ac locupletium, ut sua quisque sorte non contentus vitam trahat usque miseriam luatque poenam iis irrogatam, qui non *regnum Dei et iustitiam eius* quaerunt, sed caducis his rebus fluxisque adhaerescunt. Atque illud etiam graviorem facit praesentem conflictationem, quod, quum superiorum temporum turbulenti homines e doctrinae divinitus revelatae thesauro certa quaedam et fixa plerumque retinerent, hodierni non ante quieturi videantur quam excisa omnia conspexerint. Everso autem religionis fundamento, et ipsam civilem coniunctionem dirumpi necesse est. Luctuosum sane spectaculum in praesens, formidolosum in posterum; non quod Ecclesiae incolumitati timendum sit, de qua dubitare divina promissa non sinunt, sed ob impendentia familiis gentibusque pericula, maxime quae pestiferum impietatis afflatum aut impensus fovent aut ferunt patientius.

(Ad proximum numerum).

MOTU PROPRIO SSmi. d. d. IX mens. Iunii MCMX de indulgentia « Portiunculae » haec *currenti anno tantum valitura*, ob occasionem septimi ab instituto Fratrum Minorum Ordine saeculi expirantis, statuta atque decreta sunt:

« Firmis, scilicet, de memorata Indulgentia antea quomodocumque factis, quae nondum expiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum Ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriae ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles rite confessi et Sacra Synaxi refecti ac devote iuxta Nostram intentionem orantes, a vespere diei primae ad solis occasum diei secundae mensis Augusti anni currentis *toties quoties* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam Ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *Indulgentiam Plenariam*, animabus etiam quam purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Hanc vero eandem Indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucriferi posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus, qui propriam ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi Ssma Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Ne cui demum, praestantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adiuncta, fruendi copia desit, benigne indulgemus iisdem locorum Ordinariis ut ad supradictam Indulgentiam lucrandam statuerent possint tam pro in saeculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, a vespere Sabbati ad solis occasum ipsius Dominicae, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad Indulgentiam lucrandam statuta speciales publicae ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, Ministris Sanctuarii universaque militante Ecclesia peragantur; eaque, praemissa invocatione Seraphici Patriarchae ac Litanis Sanctorum, Benedictione Eucharistica absolvantur ».

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: R. p. Le Floch, Rector Pontificii Seminarium Gallici de Urbe una cum r. p. Frey a Pontificia Commissione de re biblica doctor in S. Scripturis creatus; De Leiningen, Comes; Chisius, Princeps Urbanus, eiusque uxor; Blumensthal, Comes; Stanislaus Medolago Albani, Comes; Christina Giustiniani Bandini, Princeps foemina, cum supremo consilio mulierum Catholicarum in Italia; manus puellarum ex Agro Romano; peregrinorum Berolinensium manus; Supremi Ordinis Melitensis Magister Maximus; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, Nobilium Stipatorum cohortis apud P. M. praefectus; peregrinorum manus ex Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Lusitanorum legati munere fungens apud Apostolicam Sedem; Saenz Pena doctor, Argentinae civitatis praeses nuper electus, eiusque familia; Horatius Marucchi, eques torquatus, eiusque uxor; manus catholicorum iuvenum scholis secundi ordinis Romae vacantium.

Pontificiae electiones.

Patritius Finegan, vicarius gen. Alladen., episcopus Kilmoren.; Carolus Curier, e dioecesi Baltimoren., episcopus Zamboangen. in Insulis Philippinis; Mauritius Foley, e dioecesi Bostonien., episcopus Tugnegaraonen. in iisdem insulis, renunciantur.

— Purpuratus Pater Franciscus Cassetta inter Iudices adlegitur Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae.

— R. P. D. Carolus Bertuzzi, episcopus Fulginaten., ad sedem metropolitanam titularem Diocletianam; et Apollonius Maggio, episcopus tit. Lystren., ad cathedralem sedem Ausulanam in Piceno transferuntur.

— Thomas Heylen, episcopus Namurcen., inter episcopos Pontificio solio adstantes adnumeratur.

Varia.

Quod felix, bonum, faustumque siet, die II mens. Iunii MCMX SS. D. N. Pius PP. X quintum supra septuagesimum vitae annum feliciter explet.

— die XXVIII, sub vespere, Pontifex in Vaticanam basilicam descendit, sepulcra SS. Petri et Pauli veneraturus.

ANNALES

Cretensis quaestio.

De quaestione Cretensi, una sane quae ad « politicam internationalem » (prouti vulgo dicunt) his diebus spectet, profecto affirmari potest, quo magis eam volutari, eo magis eandem rem esse et apparere. Dum enim Cretense gubernium alias litteras ad nationes insulae tutelam habentes mittit, ut suam fidem in adnexionem cum Graecia confirmet, Turcicum vicissim litteras mittit, quae deside-

rium solvendi discrimen aperiant, non ita tamen ut insula a Turcarum ditio auferatur. Qui vero hasce litteras receperunt imprimis curant ut dissensiones inter Christianos Turcasque populi legatos dirimantur, utque illis liceat publici coetus sessionibus interesse, quum tamen inviti ad iuramentum praestandum fidelitatis Graecorum regno, ab his per fas et nefas requisitum, non cogantur. Quid inde si istiusmodi conatus inutiles fiant? Non Gallici gubernii propositum praevalere, reducendi iterum curae supremi cuiusdam praefecti Cretae insulae procuracionem; at Anglici potius, alias bellicas naves mittendi, quae firmam Europae voluntatem aperte asserant.

Dum tamen haec magna cum difficultate cauteque agitantur, en ex improvise factum novum intervenit ad negotium amplificandum: Turcarum dicimus populi iras et impetus in Graecos homines et Graeca commercia, quae omni vi prohibentur. Neque Turcico gubernio ea potestas est, - ut abhinc annos decem in Austriacos - quae huiusmodi imprudentias coercere valeat ac libertatis regimen possit restituere.

**

Franci ci Iosephi Imperatoris iter in Bosniam.

Hisce controversis opponere iuvat triumphale iter quod per Bosniacam gentem recens sibi subditam Franciscus Iosephus, Austrorum Imperator Hungarorumque rex, peregit, ac facile ostendit magnum progressum ab iis populis intra annos triginta factum humanitati regni illius, cuius nunc partem constituunt, unice tribuendum esse. Itaque non est dubium quin iter idem ab Augusto illo sene susceptum, id, ad quod tendebat, fuisse consequutum, civium antiquorum scilicet et novorum animos in unum devincire.

**

Albanensis seditio.

Nihil aliud in Albanensi regione peractum est, ex quo sanguis iterum manaret; ut tandem aliquando concludere liceat publici coetus legatorum sollicitationes et bona officia, tardius licet, at tamen vicisse. Mahmud-Chefket, bellicarum rerum apud Turcas administer, Constantinopolim rediit, ubi navalium quoque administrationem suscepit.

In dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus.

Cic., *Tuscul.*, XXIII, 2.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Borussia** Moltke, civilium rerum administer, et Von Arnim, agriculturae praefectus, muneribus suis se abdicarunt. In eorum locum suffecti Dallevitz et Schorlemer, Rhenanae provinciae praesides.

In **Gallia** habita diu de gubernandi ratione disceptatione, Briand, administratorum praeses, proposita sua arcte confirmavit plurimaque suffragia tulit.

In **Hispania**, novis legatis sibi devotis confisus, Canalejas, administratorum praefectus, sub libertatis specie, in catholicorum vero detrimentum, decreta circa constitutionis interpretationem emisit, rogationesque legis discutiendas nunciavit.

In **Hungaria** nova comitia favorabilia omnino gubernio cesserunt, tum Just, tum Kossuth factionibus fractis.

In **Italia** rogatio legis de infima schola provinciae avocanda acriter disputatur.

In **Lusitania** novum administratorum collegium constitutum, praeside Texeira Souza, e « conservatorum » parte, qui nova comitia iudixit.

In **Norvegia** sancta a rege nova lex, qua ius suffragii circa civitatum administrationem mulieribus quoque conceditur.

In **Russia** constitutum ut in Provinciarum conciliis Russici cives numero praepolleant.

In **Serbia** iuris suffragii demutatio rata habita.

PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMX Rolls aviator Britannicum fretum bis feliciter pertransit.

— d. III subaqueus Gallorum linter *Pluviose*, die XXVI mens. Maii cum militibus omnibus in Britannico fretu submersus, undis extrahitur.

— d. V Rhemensis regio in Gallia improvisis imbribus late vastatur.

— d. VII Samnium terrae motu quatitur, magna domorum itemque hominum ruina.

— d. XI Iosepha e Borbonica gente princeps foemina, octuagesimum tertium aetatis annum agens, Neuilly in oppido Galliae moritur.

— d. XIII Lucernae lacus redundans fertur in arva furens atque immensa damna procurat.

— d. XV Bruxellis antiquae artis exhibitio sollemni ritu inauguratur.

— d. XVIII Saenz Pena, Argentinae reipublicae apud Italos administer, civitatis suae praeses renunciatus, ab Urbe proficiscitur.

Neo-Eboracum e longo itinere *redux* appellit Theodorus Roosevelt, Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis quondam praeses.

— d. XXI Richardus de la Vega, dramatum scriptor apud Hispanos celebratus, Madriti obit.

— XXXIII Bonearensi ex urbe discedit Ferdinandus Martini, qui, Italici gubernii legatus, saecularibus sollemnibus interfuit in Argentina reipublica a die VIII a. Kal. Iun. per integram hebdomadem peractis ob annos centum feliciter actos, ex quo civitas illa sui se iuris fecit. Inter hospites exteros tum etiam adnumerati sunt Elisabeth, Alfonsi XIII, Hispanorum regis, amita, et Petrus Montt, Chilena reipublicae praeses.

— d. XXIV Tortonae in urbe, senectute atque pastoralis officii laboribus confectus, vita fungitur Michael a Carbonara, Ord. Min. S. Francisci Capulatorum, praefectus apostolicus Erythraeensis.

— d. XXVI Cattaneo, italus, Rhemensi in urbe, ex aëriae velocitatis certamine victor excedit.

Navalia ad Massiliensem pharum igni absumentur.

— d. XXVII Eduardus Albertus, Georgii V Anglorum regis primogenitus, Valliensis principis titulo atque insignibus, Londini, sollemni ritu decoratur.

— d. XXIX Wimbleton, in Angliae oppido, ab hominibus demigrat Ferdinandus Maria, Alenconii Dux, Nemourcensis ducis ex Aurelianensi regia stirpe filius alter, Neuilly natus die XII mens. Iulii MDCCCXLIV.

LIBRORUM RECENSIO

IOSEPH WABNER. — *Składnia gramatyczna języka łacinskiego* [Syntaxis linguae latinae] (Edid. Varsaviae Polon. E. Wende).

Quinam fieri potuit, ut tota latinae linguae foecunda et in omnibus flexibus mentis et cogitationis animi humani tam subtiliter exarata syntaxis in tam exiguo volumine contineatur? Rem nobis ipse auctor in prooemio aut potius introductione illustrat. Quamquam, - inquit - ratio logica una eademque est omnium hominum (aut certe esse debet), unaquaeque lingua aliud sibi proprium, plus aut minus aretum cum lingua latina vinculum syntacticum habet. Unde fit, ut, quo propior quaeque lingua est linguae latinae hac parte, eo brevior genti necessaria est eius syntaxis. Cui bono enim enucleare ea, quae in utriusque linguae syntaxi sunt praevia?

Qua adnotatione auctor nobis est persuasurus linguae polonae syntaxim valde linguae latinae propinquam esse, id quod facile ei consentimus, quum reputamus Polonos prius latine, quam polonice, scripsisse; prima enim eorum opera historica et litteraria lingua latina sunt confecta, ita ut si sub xviⁱ seculi initio (a. 1505) Nicolaus Rej, poeta eorum clarissimus, qui iam exculta lingua polonica praeclare est usus, cum iurgio exclamavit: « Poloni non anseres; suam linguam habent, recte dixerit; sed linguam, quae naturam structuramque syntacticam linguae latinae tot saeculis ante funditus exsorbuit.

Ita quidem perfecte intelligimus, quare syntaxis latina *Polonis a Polono* sua via et ratione scripta multo brevior, quam aliis nationibus, esse possit, et tamen omnibus iis, quae ratione logica et litteraria postulantur, satisfaciens.

Omnibus, quae supra diximus, quid, ut addamus, restat?

Si lingua latina tam propinqua est linguae polonae hac gravissima parte, structura nempe syntactica; si studium linguae latinae ita facile reddunt instrumenta, ut I. Wabneri liber; si, id quod maximi est momenti, primitiva antiqua monumenta et opera gentis latine sunt scripta et tradita: quae natio plus linguae latinae studendum esse censere debet, quam Polonorum?

Modo ne terreat novitas viae et rationis eos, qui Germanos imitantes veteri «rutinae» docendi sunt assueti; quare studium et cognitionem suis reddunt difficiliorem.

W. K.

ST. DE BACKER S. I. — *Institutiones metaphysicae specialis*. Vol. IV: *Theologia naturalis*. (Edid. Beauchesne, Parisiis).

Clarissimus huius de Theodicea operis auctor, in Lovaniensi collegio doctor, apprime tempora sua cognoscere se demonstrat; quod quidem maxime tum ex latitudine qua argumenta de Dei existentia tractantur (pag. 10-98), tum ex confutatione pantheismi (pag. 151-176) facile elucet. Nec itaque timet ut per diligentem analysim in enodando atque ad suum valorem reducendo causalitatis principio diutius moretur (pag. 27-47). Haec quae enunciavimus prima libri pars continet, neque est dubium quin magni habenda sit; plurisque vero haberetur, si disceptatio quoque de novis theoriis ab «immanentiae» doctrina manantibus addita esset.

Praestat deinde tractatio de scientia divina (pag. 177-215), ubi auctor decretis «praedeterminantibus» recte sane, ac sobrie adversatur. Neque ab eo dissentendum est quum denique de ratione cognitionis circa «futuribilia» agens, inter oppositas propensiones cum Mercier, philosopho illo Purpurato Patre, Belgarum decore, concludit, ignorantiam nostram de re confiteri satius esse.

G. T.

A. PUCCINI. *L'agnosticismo, ossia il fondamento degli errori moderni*. — (Edid. Pustet, Romae).

In memorabilibus illis encyclicis litteris *Pascendi*, quas Pius PP. X de «modernismo» dedit, agnosticismus quasi fons ac principium errorum hodiernae philosophiae iure indicabatur. Atqui hoc ipsum facili stylo atque concinne Puccinius in parvo hoc libro demonstrat, qui non scientiae opus scribere praesumpsit, sed ita vulgare, ut prae manibus omnium esse possent, quae temere passim nostris diebus a quibusdam, qui sapientiam affectant, de re affirmantur, ne falsa inde opinione decipiamur. Inceptum profecto utile, idque laudabiliter satis exactum.

I. F.

AENIGMATA

I.

Haerentem mihi non Aquilo, non Eure potestis;
Impete sed potis es tollere, Phoebe, tuo.

II.

Thessaliae sum mons Musis sacratus. Omitte
Litterulam; nemoris sum decus usque virens.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE POETIS EPICIS ROMANORUM
ACROASIS

Aenigmata an. XIII, n. IV proposita his respondent:

1) *Navis - Avls - Vls - Is*; 2) *Vesta - IIs*.

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, *Corbiniaco*. — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino*. — Ioan. Biava, *Bergomo*. — F. Arnori; A. Tonelli, *Mediolano*. — A. Bounin, *Aurliano*. — F. Correa, *Emerita*. — F. X. N., *Drepano*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Ben. Savio; Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Petrus Tergestinus. — I. Costa, *Dumio*. — I. Rainer, *S. Francisco*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Eug. Dolmar, *Chicagine*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — R. Richi, *Traianopoli*. — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varrum*. — P. Prado, *Venetiis*. — G. Giani, *Senis*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Raim. Silvan, *Londino*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Iac. Córdoba, *Parentio*. — Arch. Magliano, *Genua*. — F. Starace, *Neapoli*. — I. Ciolli, *Papia*. — E. Ricci, *Florentia*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Fr. Guerra, *Alstio*. — Carm. Zlinezky, *Cracovia*.

Sortitus est praemium:

EUGENIUS DOLMAR,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — EX officina Societatis Romanae Editricis.

ARRAE GORGONIAE

(6)

(Cfr. num. sup.)

Atilius suam post turmam equitans arcum vestigium et ipse ingressus est atque ita horridum, ut iam omnes equites ignota suspicione correpti, late silerent, dum frondes ramique humi strata equorum sub unguulis crepitant. Iuvenis tristem locum aliquanto circumspexit, at brevi, graviore qua erat correptus cura, ad memorias rediit praecisae fortunae suae.

Viderat enim infidam virginem inter Florae deae pompas, saginationes Maianas, Arvales supplicationes; inter ferias denique quae, rusticationis tempore, iteratae erant. Succensus crebris colloquiis utriusque amor, tandemque profecta puella ad urbem. Sed haud multo post in Brutiorum litore, Afraniae genti gratissimo rure, adstante Atilii patris sponsalia solemniter inita. Tunc vero equis deus horas reddidisset per renidentem sinum deductas, dum ipse remex factus desponsatam virginem per canescentes fluctus cymba circumducit? Eheu tamen! Vespere quodam, dum navicula, laxatis remis, auraeque blandienti permissa, innatat undis, malo ferme suadente fato, armillam auream e sinu togae ipse protulit. Aurea tenia erat, cuius in fimbria corallo insculptum, Gorgonium caput renidebat. Nihil enim aptius censuerat veteri memoriae Parillum, nihilque puellae pulchritudini conveniens magis capite divino; flavae enim illius comae, orta iam nigricante ex aequore luna, non aliter quam purissimum aurum micabant. At quum ille dilectae puellae enarraret ridens quomodo novam similitudinem animo instituisset, nesciebat plane quam fatale omen Gorgonia illa facies futuris utriusque diebus pararet. Nam per lunare tempus cantiunculae, adflante vento, insonuerunt piscatoriis ex lintris redeuntibus in portum, quorum taedis remissa per liquidam maris faciem ignita vestigia ad fluctus motum tremebant: at his super errantibus splendoribus stellarum fulgor sine numero e caelo geminabatur.

Dulcissima haec dum mente revolvit eques, sustulit revera oculos per nocturnum aëra, ut stellas easdem praesentis luctus obtestaretur. *Equid autem? Fallebant ne eum veteris vestigia memoriae? Equites omnes, hinc et inde ad iuga montium resupinas defixisse facies videbantur, aiebatque decurio comitanti equiti:*

— Numquid exploratores haud praeiverunt agmini?

— Utique plane! Ipse ego quum castra moverentur, Caecilio occurri Germanicum equitatum iubenti millibus passibus praecire.

— Neque nostri simul missi equites?

— Quid mirum? Nemo nostrum loca tam optime callet, ut per haec, quae circum imminent, montium abrupta tutum fecisset iter.

— Cuius sunt igitur noctilucae, quae paulo post ingressas fauces indesinenter nos sunt comitatae?

— Equis tute dicat? Germani sunt forte sagittarii, qui silvae tenebras perscrutantur sibi que nobisque viam taedis collustrant.

Revera rubescentes, iique ephimeri, veluti lampyridum tum bini, tum terni, modo heic, modo illic, dextra levaque per nigra silvarum iuga splendores apparebant, movebantur, restinguebantur, iterumque eminebant e tenebris quasi agmen taedarum, quas qui gestarent, in valle progrediens constanter agmen sequerentur.

Attamen non idem esse omnibus de re iudicium decurio credidisset, si murmur illud submissum, si dubitantes oculos militum melius considerasset. Unum vero incuriosum vidisset, Atilium, qui rursus iam reclinato capite ad veteres memorias cogitabundus redierat. Nam uno vix post nuptias mense, delectu ad Germanicae legiones iterum habito, beatitudo brevis fracta est. Quintilius Varus legatus, auspice Augusto, novas offensiones in Cheruscos, in Bructerios, inque reliquos barbaros circa Rhenum flumen tumultuantes parabat. Atilius, ut erat equestri ordine, cooptatur in tirones alarum, atque iussus est proficisci in Galliam. Extremum colloquendi spatium in hortulo Vestino iuxta crepidinem in mare prospicientem mane datum. Hesperidum ex arboribus, flante circum zephyro, odores suavissimi effundebantur. Momentum vicissim valedicendi, non secus ac vitae suprema hora tristissimum! Quum advenit famulus omnia nuncians ad profectum parata, digressi sunt sponsi ad viam in litore maris, comitantibus ad salutationem Afranio ipso, et Domitillae sorore, et ancillis. Tunc advenit ecce rapide quatiens campum equus, quem famulus conscenderat, altus, fremens, agilissimus. Obstupescenti iuveni: Hoc tibi — ait puella —, donum et memoria nuptiarum et gloriae auspiciam sit: sed cognomine ego Gorgonia virgo, cuius fatalem pulchritudinem meae adsimilasti, Pegasus belluam esse volo. Tu, Pegase, dominum moerenti sponsae incolumem redde. Ego heic te sola maneo, te cogito, te spero: tu, quum redieris, fidelem me praemium victoriae habebis.....

Verax profecto auspiciam, constans mulieris animus, sacraque verba! Pegasus cruore suo demersus ipsa nocte occubuerat; armilla nuptiarum pignus data, carissimis ipsis divulsa manibus ad sponsum ignarum reddita; hic utrum ad proelium, an ad mortem properaret incertus, per fatalem noctem desperato animo procedebat.....

V.

In his vox ex uno in alterum equitem per agmen remissa succrevit: « Marcum Vibennam legatus vocat ad se. »

Qui quum se audivit a legato accersiri, incitans equum media per agmina, quo citiore cursu arcta via militibusque densa sinebat, processit. Pervenit tandem ad ducem, qui cum tribunis alarum cohortiumque concitata voce disputabat. Adstitit, retinuitque lora; dumque vibrata hasta salutatur:

(*Ad proximum numerum*).

I. A. COSTAGGINI.